

46

*Henri III promet de conserver les alliances avec
la France.*

Madrid, 16 janvier 1394.

Henricus Dei gracia rex Castelle et Legionis universis et singulis has nostras litteras inspecturis tam presentibus quam futuris, notum facimus et testamur quod cum olim, eterni Regis providencia disponente, inter serenissimos principes clare memorie dominum Karolum Francorum et ejusdem memorie dominum Henricum avum Castelle et Legionis et Johannem genitorem nostros Castelle, Legionis et Portugalie quondam reges, et postea inter illustrissimos principes Karolum supradicti domini Karoli quondam Francorum regis genitum nunc regnantem ac Johannem genitorem nostrum predictos reges, ordinate, concepte, inhite et firmate fuissent certe lige, confederaciones, composicionès, convenciones et pacta ad exterminium malorum et utriusque rei publice pacificum incrementum, nos, post obitum dicte clare recordacionis domini genitoris nostri, qui sicut eidem in regni cura et gubernacione successimus, ita in felici proposito, Altissimo disponente, successisse speramus, nos qui supra, Henricus rex Castelle et Legionis, pro nobis ac herede nostro nato vel nascituro, terris, regnis et subditis nostris prefatas ligas, tractatus, composiciones, confederaciones et pacta ac omnia alia et singula in predictis et circa predicta per memoratos parentes nostros acta, gesta, habita et conventa, approbamus, ratificamus, acceptamus et ex certa sciencia in nostro pleno consilio confirmamus eaque et eorum singula propositis nobis tactisque sacrosanctis Euvangeliiis et venerabili signo crucis, semper et omni tempore custodire, manutenere et inviolabiliter observare pro nobis et dicto herede nostro nato vel nascituro, regnis, terris et subditis nostris in verbo regio promittimus et firmiter pollicemur et nunquam contra facere vel venire per nos vel alium seu alios, aliqua racione vel causa, publice vel occulte, sub ypotheca et obligatione regnorum et omnium bonorum nostrorum.

In quorum omnium testimonium, presentes nostras litteras per

DAUMET. *France et Castille.*

13

notarium publicum nostrumque secretarium infrascriptum fieri et publicari mandavimus ac nominis sigillique regii munimine roborari. Datum in villa de Maiorito, in nostra domo regia, anno a Nativitate Domini millesimo trecentesimo nonagesimo quarto, regni nostri quarto et die sexta decima mensis januarii, indictione secunda. Presentibus ibidem reverendis in Christo patribus ac dominis dominis Petro Tholetano et Johanne Compostellano archiepiscopis, ac Petro Oxomensis et Johanne Calagurritano episcopis et magnificis et potentibus viris dominis Petro Comite et Laurencio Sugerii, magistro milicie ordinis Sancti Jacobi et Alvaro Petri de Guzman necnon nobilibus militibus Didaco Furtati de Mendoza et Petro Luppi de Ayala, domino de Salvaterra ac Didaco Luppi de Astuñiga et aliis de consilio nostro, testibus ad premissa vocatis specialiter et rogatis.

YO EL REY.

(Signum notarii) Et ego Johannes Roderici de Villaycan. canonicus Burgensis, publicus, apostolica et imperiali auctoritate notarius ac secretarius dicti domini regis, premissis omnibus et singulis una cum prenominatis testibus presens fui eaque sic fieri vidi et audivi et exinde hoc presens publicum instrumentum de mandato dicti domini regis propria manu scriptum signo meo una cum nomine et sigilli appensione ipsius domini regis signavi solito requisitus, in testimonium omnium premissorum.

(Scellé d'une bulle de plomb sur lacs de soie).

Archives Nat., J 604, n° 70.

47^a

Charles VI déclare ne pouvoir prononcer sa sentence arbitrale dans le différend élevé entre Henri III et D. Alfonso comte de Gijon et Noroña.

Paris, 8 mai 1395.

Karolus, etc..... Universis presentes litteras inspecturis salutem. Notum facimus quod cum serenissimus princeps carissimus frater noster Henricus rex Castelle ex una parte et comes Alfonsus, comes